

tradictoria ejus sit vera, vi hujus principii: *Quodlibet est vel non est*. Rem declarabimus exemplò: Sit aliquis, qui dicat: *Omne Ens præter DEUM constat ex materiâ*: Huic sententiæ contradico: *Non omne Ens præter DEUM constat ex materiâ*. Posterior propositio, quæ vera est, potest probari bifariam. 1. *Ostensive*, ita ut illa ipsa propositio ex præmissis inferatur. 2. *Ex hypothese & per impossibile*, quando sententia Adversarii ad absurdum deducitur, seu ex eâ absurdum aliquod colligitur. Primum itaque adsumo ipsam Adversarii sententiam, quam pro falsâ habeo & locò Majoris propositionis pono h. m.

*Omne Ens præter DEUM constat ex materiâ*. Deinde adsumo minorem propositionem eamque sive evidenter veram, sive falsam ab Adversariò concessam, nempe hanc:

*Materia prima est Ens præter DEUM*; item, *forma est Ens præter DEUM*. item, Angelus est Ens præter DEUM. Tandem concludo, quæ sunt absurdissima, sc. Ergò Materia prima constat ex materiâ. Ergò forma constat ex materiâ. Ergò Angelus constat ex materiâ. Omnes istæ conclusiones absurdæ sunt. Necessum itaque est alteram præmissarum, esse falsam. Non autem falsæ sunt propositiones, quæ minorem propositionem constituunt, relinquatur igitur, ut falsa sit major, quæ est Adversarii. Hæc itaque ad absurdum deductâ & falsitatis convictâ mea propositio, quæ illi contradicit, censetur esse vera & probata, quia duæ contradictoriæ non possunt esse simul veræ vel falsæ.

(d) Ens universalissimè acceptum habet principia cognoscendi, à quibus sc. dependet in cognosci. Et quia Ens est primò cognitum, ideò cognoscit etiam principia cognoscendi simpliciter prima, qualia sunt: *Impossibile est idem simul esse & non esse*; *Quodlibet est vel non est*. Non autem duo illa principia eundem prorsus sensum obtinent; sed cum contradictoriis duo competant, (1.) *quod sibi invicem repugnent*. (2.) *quod nullum medium admittant*; utique duo ista principia eò differant, quod alterum *contradictoriorum repugnantiam*, alterum *medii carentiam* exprimit & significat. Audiat enim hæc propositio: *impossibile est idem simul esse & non esse*; prout intellectus naturaliter super verba fertur, ecquid aliud concipimus, quam illa duo, *esse & non esse*, adeò sibi invicem repugnare, ut simul de eodem subjectò enunciari nequeant? Et cum *quodlibet esse vel non esse* ais; num quid aliud dicis, quam inter *esse & non esse* non dari medium, sed necessariò alterum eorum de quolibet subjectò efferri?

§. 4. Esse autem hæc principia cognoscendi omnium prima probare possumus h. m. Sine quocunque nihil cognoscere possumus, & à quò omnia suæ cognitionis lumen mutuatur, illud oportet esse notissimum & omnium primum. Sed sine hoc principio: *Impossibile est idem simul esse & non esse*, nihil cognoscere possumus, & ab hoc ipsò omnia suæ cognitionis lumen mutuatur. E. Hoc principium est omnium primum & notissimum.

Hic tamen objici potest contra hoc adfertum (1.) Quod principium omnium primum debeat esse affirmativum. Sed hoc principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, non est affirmativum. E. non est simpliciter primum. Minor patet ex ipsis terminis: Major autem probatur, quia semper affir-

matio prior est negatione, quemadmodum veritas prior est falsitate. Deinde & (2.) dici potest, quod principium simpliciter primum debeat esse omnium disciplinarum primum principium. Sed hoc iterum est falsum de principio modo dictò, quia illud non est primum principium practicarum disciplinarum, quippe quæ pro primò principio agnoscunt hoc principium morale: *Bonum est faciendum, malum fugiendum*. (3.) Primum principium non potest per aliud demonstrari, nec etiam opus habet ulteriori Demonstratione vel probatione. Sed hoc principium, *Impossibile est*, &c. potest per aliud demonstrari & opus etiam habet Demonstratione. E. non erit simpliciter primum. Major rursus vera est, quia principium simpliciter primum ita debet esse verum & evidens, ut veritas ipsius ex ipsis terminis cuius pateat, adeoque ulteriori probatione opus minimè habeat. Minor autem quoad utrumque membrum probatur ex Aristotele l. 4. Met. c. 4. ubi operosus est Aristoteles in hujus principii probatione & probat illud per hoc, impossibile est, *eidem inesse contraria*.

§. 5. Hisce objectionibus ut respondeatur, ante omnia rectè intelligendum est hoc, quomodo Aristoteles hoc principium dicat omnium primum cognoscendi principium, nempe est illud primum, *non in compositione*, quasi ex illò possint immediatè deduci conclusiones per Demonstrationem ostensivam, sed primum illud est in resolutione, quatenus deductione per impossibile vel ad absurdum, cætera omnia in hoc tanquam primum fundamentum resolvuntur. Quantum igitur ad objectionem (1.) respondet *Javellus l. 4. Met. quest. 9.* negando Minorem in argumentò, dicit enim, ut hoc principium, prout verba jacent, videatur esse negativum, sensu tamen illud est affirmativum & æquipollere huic propositioni de modò *Necesse*: *Necesse est idem non simul esse & non esse*. Verum quia negatio in modò allatò dictò nimis manifesta est, alii respondent, dictum illud non esse purè negativum, sed partim affirmativum, partim negativum, ita tamen ut affirmatio precedat negationem, eaque prior sit. Constat enim illud hisce duobus enunciatis: *Idem est & idem non est*: quibus conjunctis, fit hæc propositio de modò *impossibili*: *Impossibile est idem simul esse & non esse*. OBJICIS: Hòc ipsò, quod principium hoc ex duobus aliis prioribus est compositum, utique non erit illud simpliciter primum. Ad hoc respondet SVAREZ DISP. 3. Metaph. f. 3. §. 10. distinguendo, Principium enim simpliciter primum potest dici duobus modis (1.) ordine GENERATIONIS ET COMPOSITIONIS: vel. 2. RATIONE VERITATIS PER SE NOTÆ & ut ipse SONERUS loquitur, ratione evidentiae: Jam etsi principium illud non possit dici simpliciter primum PRIORI MODO, quasi sc. ratione compositionis non habeat se prius; primum tamen simpliciter est ratione evidentiae, quia notissimum & evidentissimum nostræ cognitionis fundamentum est, eò quod non tantum id, quod maxime & simpliciter esse ponit, quemadmodum si dicam, OMNE ENS EST; sed ponit etiam evidentius, dum illud à suo repugnante vindicat & oppositum, quod ipsum evertit ac destruit, removet: Quemadmodum evidentius omnino mihi loquitur, qui dicit, *boc est verum aurum & non est aurum adulterinum*, quam